

Chron.
Marienf.
Justin. in
Lippif.
Heister. in
suffrag.
Conse-
cratio
templi
Marien-
feldensis

Turbatus
Livoniae
status, cui
causam
dedere
Templarij.

Albert.
Stadens.
Honor. epist.
218. & 221.
lib. 6.

Mariae campus dicitur Basilica dedicata est. Magna celebritate hæc consecratio peracta est; ad quam Episcopi convenere Theodoricus Monasteriensis, Adolphus Osnabrugensis, Contadus Mindensis, & Bernardus de Lippia Seloniensis, seu ut alij vocant, Lealensis in Livonia Episcopus; aramque principem consecravit Theodoricus Monasteriensis, Adolphus Osnabrugensis, Conradus Mindensis, & Bernardus de Lippia Selonensis, seu ut alij vocant, Lealensis in Livonia Episcopus; aramq; principem consecravit Theodoricus Mindensis Episcopus; ea quæ ad sinistram chori partem sunt altaria consecravit Mindensis, quæ ad dextram Osnabrugensis, cetera Bernardus Lealensis Episcopus. Magnifica in hunc diem Basilica, & solidi operis structura, in qua tot annis laboratum. Sed non minus inter Episcopos spectabilis Bernardus Lippiensis, ante complures annos ex Gomite ac belli Duce in eodem Cœnobio Monachus, vir senio venerabilis & Spiritu Apostolico plenus, à quo per id tempus Lipstadij in Oppido, quæ prima & hæreditaria Lippiensium Comitum Sedes fuit, tum Schawenburgij, alijsq; in locis complures ædes sacræ altariaq; consecrata sunt.

At quæ causa virum hunc ex Livonia in Westfaliam evocavit, demonstrat afflictus Livoniae status; quod per id tempus Livones Estienses à Catholica religione ad Idolorum cultum relapsi, foedus cum barbaris & Ruthenis inierint. Quæ gentis rebellionem ante biennium Theodoricus Estiensis Episcopus, quem à Bernardo Episcopo nostro Pontifici commendatum & in Saxonia consecratum Episcopum diximus, interemptus martyrij lauream cum Bertholdo antecessore suo Episcopo conjunxit; quemadmodum hæc Albertus Stadenfis scribit. Magnam hujus rebellionis causam dedere Templarij, recens ad Christi fidem deductos Livones iniquis modis vexando, & candentis etiam ferri judicio insolentius tractando; quo factum est, ut Ruthenis accedere maluerint Livones, & ab ijs Græcorum ritus suscipere. Ob quæ crimina Templarij ad Honorio Pontifice serio admoniti, & graviter perstricti sunt. Et Honorius Pontifex licet hoc anno totus esset in excitandis Christianis Principibus ad prioris cladis ignominiam quam à Saracenis acceperant vindicandam; non tamen omisit epistola ad omnes Saxoniae Principes data inflammare simul Saxonum animos ad cœptum Livoniae bellum adversus barbaros, rebellesq; ejus provinciae populos. Ac Livoniam quidem & Lealensem provinciam hoc anno Daniae Rex cum Alberto Comite ingressus, fugatisq; christiani nominis hostibus urbem in ea condidit; quæ tamen haud multò post à paganis everfa est. Hæc igitur Livoniae & Ecclesiae suae necessitas excivit Bernardum Episcopum in Westfaliam ad nobilium ceterorumque quos in Livoniam secum traduceret, animos secundum Pontificis voluntatem, excitandos. Ac divino munere ad id opus obtigisse videri poterat Bernardus Episcopus, qui

ex